

## EL "PECCATUM AD MORTEM" INTERPRETADO POR EL CARDENAL TOLEDO

por

JESÚS BUJANDA S. I.

El escrito que a continuación presentamos es el contenido en el manuscrito B, 31 de la Biblioteca de la Universidad de Granada, comenzando en el folio 194, y acabando en el 200 vuelto.

En él estudia el Cardenal Toledo el sentido del versículo 16, de la carta primera de S. Juan, cap. V. Divide su trabajo en 12 capítulos. En el primero rechaza la interpretación que le daban los Novacianos. En el segundo, la de Orígenes. En el tercero, dos de Anastasio Obispo de Nicea. En el cuarto presenta varias dificultades contra la de S. Ambrosio. En el quinto rechaza una exposición de S. Agustín, y en el sexto una que se atribuye a ese santo, aunque según Toledo no es de él. En el séptimo juzga ser incompleta una exposición de S. Agustín y S. Gregorio, aunque dice ser probable y no desatendible. En el octavo rechaza la opinión de otros autores, y lo mismo hace en el noveno con una nueva exposición. Finalmente en el décimo, undécimo y duodécimo, expone el autor la suya propia, que es en breves palabras la siguiente:

En los versículos anteriores, exhorta S. Juan a los fieles a que pidan cuanto quieran según la voluntad de Dios, seguros de que se lo concederá. Por tanto, quien viere a su hermano cometer un pecado *non ad mortem*, pida por él, y Dios le dará la vida de la gracia. Pero si alguien hiciere un pecado *ad mortem*, no le digo que ruegue con la misma seguridad de alcanzar el perdón. Puede hacerlo, pero no le doy esa seguridad, como en el caso anterior. Pecados *ad mortem* son todos aquellos graves, y sólo ellos, de los

que el pecador no quiere arrepentirse, y se llaman así, porque llevan consigo irremisiblemente la muerte espiritual y eterna.

Como se ve, el estudio que hace Toledo del citado versículo de S. Juan, es completo. Su exposición es clara, y su interpretación en este punto tan oscuro, aceptable.

Para terminar esta introducción, allá va un detalle curioso acerca del manuscrito. Entre los folios del mismo en que se trata esta cuestión, hay un papelito suelto, casi rectangular, que mide menos de nueve centímetros de largo y sólo dos de ancho; y en él están escritas estas palabras: *et circa I Ioann. 5, de peccato ad mortem, Clemen. Alex. 2. Stromata.*

Tal vez Toledo después de escritos los doce capítulos de su trabajo, tropezó andando el tiempo con la interpretación de ese autor, y tomó esa breve nota, que sin embargo no llegó a explanar. Clemente Alejandrino hace relación a ese texto de S. Juan en el cap. 15, del libro 2, de sus *Stromata*; en la colección griega de Migne, tomo VIII, col. 1003.

[F. 194] I Ioan. 5 [16] Qui scit fratrem suum peccare peccatum non ad mortem, petat, et dabitur ei vita peccanti non ad mortem. Est peccatum ad mortem: non pro illo dico ut roget quis.

### Cap. 1. De expositione novatianorum.

Novatiani haeretici, qui negabant veniam a Deo dari peccantibus mortaliter post baptismum; hoc loco utebantur ad suaे haeresis confirmationem, ut auctor est Ambrosius, libro 1 de poenitentia, c. 9.<sup>(1)</sup>. Exponebant locum hunc de mortali et veniali peccato, ut illud ad mortem, hoc, non ad mortem dictum esset et tunc ducebant argumentum. Si pro peccatis mortalibus fratrum non est orandum, ergo non habent veniam a Deo talia peccata. Sed ista expositio non potest verbis convenire; nam de peccante non ad mortem, dixit, vita est danda si petebatur a Deo ab eo, cui incumbit rogare. Non igitur ille habebat vitam; viventi enim non petitur vita, sed vitae conservatio aut commoditas. Venialia

(1) Caput 10, alias 9. ML 16, 480.

autem non privant vita spirituali, quia sunt simul cum Dei gratia et caritate; non igitur per peccatum non ad mortem in hoc loco potest intelligi veniale peccatum. Si dictum esset dabitur *venia*, expositio probabilius esset; at dum dicit, dabitur *vita*, omnino excluditur, et exclusa expositione, corruit argumentum quod ex ea tractum est.

### Cap. 2. De expositione Origenis.

Origenes, homilia 10. in Exod. <sup>(2)</sup> hunc locum Apostoli exposuit. Distinguit duo genera peccatorum; unum quod facit *damnum*, alterum quod facit *interitum*. Illud dicit facere *damnum*, quod non privat hominem *vita divina* et mercede *quae aliis bonis operibus facientis debetur*, sed privat *ex parte*; ut si nimirum, merces *debebatur illi pro suis operibus bonis ut decem*, propter peccatum illud, dabitur *ut octo*, et tale peccatum dicit facere *damnum*; quod vero privat tota mercede, et poenam inferni adfert, dicit facere *interitum* [F. 194v]. Hanc distinctionem dicit Origenes a Ioanne in hoc loco exprimi; ut peccatum non ad mortem, sit quod *damnum* facit; ad mortem autem quod facit *interitum*. Haec Origenis expositio, nec est vera doctrina, nec potest aptari vere verbis istis; nam peccatum hoc quod *damnum* facit, aut est mortale, aut *veniale*; non enim datur medium in peccatis actualibus de quibus est sermo nunc. Si est mortale, hoc privat tota mercede prius debita, et facit hominem *dignum interitum*. Si est *veniale*, hoc, sicut non privat *gratia* aut *caritate* hominem, nec tota nec *ex parte*; ita nec privat mercede, nec tota nec *ex parte*, sed purgato per satisfactionem in hoc mundo aut in purgatorio, si adhuc privaret gradu mercedis, non esset opus purgatione nec satisfactione; habet enim iam iustam suam poenam. Non igitur ista doctrina vera est. De qua longius tractare non est huius loci. Quamvis autem vera esset, non potest aptari huic loco; nam pro peccato ad *interitum* et mortalibus proximorum oramus Deum ut Scripturae exempla habemus et auctoritatem. Non igitur diceret Ioannes, non dico ut roget quis; cum pro iis oraverint Apostoli, et Prophetae et sancti, et saepe impetraverint. Igitur haec expositio, nec est vera doctrina, nec loco praesenti vere aptatur.

---

(2) MG 12, 370.

### Cap. 3. De Expositionibus Anastasii duabus.

Anastasius Episcopus Nicenus, in libro Quaestionum super loca Scripturae quaestio 58, hunc locum exponens, duas expositiones ad fert. Una est, ut peccatum non ad mortem sit propter ignorantiam; quod, qui peccat cum ignorantia, licet culpabili, committit. De hoc dicit, non dico ut roges; in suo namque est arbitrio seipsum convertere aut non convertere. Haec expositio non videtur posse convenire, quia falsum est pro iis qui ignoranter peccant, et non pro iis qui ex malitia peccant esse orandum. Cum enim Mat. 5 [44] dicit Dominus; orate pro persequentibus et calumniantibus vos, absque dubio peccata malitiae et scientiae ille intelligebat; calumnia enim, peccatum est scientiae. Praeterea Ecclesia orat et fideles, pro iis qui in peccato sunt homicidiis, fornicariis; qui cer[F. 195]te, ex malitia et scientia peccant. Praeterea, quia multi ex infirmitate peccant quamvis cum scientia; sunt vero multa ex infirmitate scienter commissa, minus gravia quam sint multa ex ignorantia. Non igitur scientia impedimentum est quo minus orandum sit pro eis. Praeterea, quia ratio Anastasii non habet robur; quia, inquit, liberum est illis se convertere. Si intelligat quia virtute arbitrii se hi possunt convertere, qui ex scientia peccant; omnino est falsum. Sine Dei namque auxilio et gratia id fieri non potest. Si autem intelligat, quod liberum arbitrium habent ut se convertant, tamen debent auxilio pratiae adiuvari. Tunc cum auxilio indigeant divino, orandus profecto est Deus, ut id dignetur eis concedere. Praeterea, quia peccatum ignorantiae potissimum et proprissimum dicendum esset ad mortem; quia morbus gravis ignorantiae, periculosior est et magis tendit ad mortem. Qui enim nescit morbum, non curat adhibere medicinam. Igitur ista prior expositio Anastasii, non aptatur convenienter nec vere huic loco.

Expositio eius posterior haec est; ut peccata in Deum, dicantur peccata ad mortem, quae in lege Moysi non pecuniaria poena sed morte plectebantur; ut blasphemia, impietas, iuxta illud 1 Reg. 2 [25]: Si peccaverit vir in virum orabit pro peccato; si peccaverit in Dominum quis orabit pro eo? Dicit igitur, Ioannem hoc in loco non de iudeis et gentibus agere, hi enim non dicuntur fratres sed de haereticis. Ista expositio non videtur adhuc satisfacere;

nam et pro blasphemia, et pro impietate, et pro haeresi; oratur Deus, et orat Ecclesia.

#### Cap. 4. De Expositione Ambrosii.

Ambrosius, libro 1 de paenitentia, c. 9.<sup>(3)</sup>, aliam longe diversam adfert expositionem; quae, talis est. Dicit, peccata graviora dici peccata ad mortem; leviora autem (intellige in mortalibus), dici non ad mortem. Cum autem Ioannes dicit, non esse orandum pro peccatis ad mortem; non prohibet absolute et ubicumque orare, se loquebatur cum populo, et pro talibus peccatis non quilibet de vulgo aptus est orare et exaudiri, sed homines sancti et perfectae vitae. [195v] Pro levioribus autem, est quilibet aptus orare. Sic Moyses, Jeremias, orarunt pro gravibus peccatis populi; sic Stephanus; tamen, non cuiuslibet id munus est. Orandum est igitur pro omnibus peccatis, sed non a quolibet; seu non quilibet aptus est orare et impetrare veniam a Deo. Ista expositio aliquas habet difficultates. Primo, non apparent causa, quando sint peccata mortalia, de quibus hic loquitur Ioannes; cur gravius ad mortem, minus grave non ad mortem dicatur; praesertim, cum contingat aliquando, minus gravis, aliquando veniam obtinere nullam; aliud autem obtinere magis gravis veniam. Nam sunt nonnulli damnati, qui minus graviter peccaverunt; alii salvati, qui graviora admisserunt. Secundo, si non quilibet pro gravioribus orare aptus est; singuli abstinerent se ab orando pro eis, ne praesumptionem incurrerent, se, aliis perfectiores existimantes. Tertio, quia absolute et universaliter Ioannes dicit; non dico ut roget pro peccato ad mortem, et non restrinxit ad personae alicuius genus. Diceret enim hic, non dico ut quilibet de vulgo roget; at universaliter locutus est, non dico ut roget. Et sicut generale erat orare pro peccato non ad mortem; ita generale, non orare pro eo quod est ad mortem. Quarto, quia si pro iis qui non sunt ad mortem orandus Deus est, pro iis vero qui sunt ad mortem non quilibet orare debet; notum esse deberet, quae sint ista peccata. At obscurum valde est in Ambrosii expositione, distinguere quae sint ista graviora, quae minus gravia. Fateor iustos et sanctos homines ac perfectos, magis exaudiri a Deo, aptioresque esse ad impetrandum. Tamen iustis, etiam si non ita perfecti sint; humiliter orare pro

(3) ML 16, 480.

erit, quod adhuc non est ad mor[F. 197]tem protractum; vivit enim peccator. Verba Augustini sunt haec: Peccatum ad mortem, est, “fidem quae propter dilectionem operatur deserere usque ad mortem”. Ista verba apte significant expositionem positam; ex quo sequitur non esse orandum pro peccato ad mortem illud esse; nempe, non orandum pro eo, qui in mortali recedit, nec ullam ei prodesse orationem. Pro aliis autem orandum esse dum vivunt. Ista expositio est Gregorii libro 6 moralium, cap. 28<sup>(6)</sup>. Hanc Augustini mentem traxerunt aliqui in illam sententiam de impoenitentia finali, sed revera non est. Tenet enim Augustinus quocumque peccatum mortale protractum usque ad mortem, dici ad mortem peccatum: sive sit impoenitentia illa, quae est novum peccatum, sive non. Sat est, esse impoenitentiam seu potius impoenitentiae circunstantiam, per quam non est de peccato commisso satissfactum, nec est culpa deleta. Haec expositio est probabilis et non spernenda, sed non omnino mihi probatur. Quia si hoc esset peccatum ad mortem, quale dicunt isti doctores; tunc non diceret Ioannes, pro hoc non dico ut roget quis; sed absolute prohiberet, dico ne roget quis. Quantum autem inter istos duos modos loquendi intersit, paulo post aperiemus. Ex inconsideratione enim eorum, factus est hic locus oscurus et intellectu difficilis; et hoc argumentum est etiam contra omnes datas expositiones; quavis enim illarum male exponitur peccatum ad mortem. Profecto dicendum erat, dico ut pro hoc non roget quis; quia qui oraret, male faceret: At Ioannes id non dicit; ac propterea alium esse legitimum sensum arbitror.

### Cap. 8. De aliorum expositione.

Alii adhuc aliam huius loci addunt expositionem; ut peccatum ad mortem sit id in quo mori debet peccator ac ob id damnari; peccatum autem non ad mortem sit id in quo non est moriturus. Haec expositio multum differt[F. 197v]a praecedenti Augustini; haec enim prior expositio peccatum dicit ad mortem, etiam antequam sit protractum usque ad mortem. Augustinus autem et Gregorius, non censem ad mortem donec sit protractum. Et revera magna est differentia; quia quantumvis sit protrahendum; tamen, dum non est protractum, est in statu veniae; et non deest peccato-

(6) *Moralium*, 1. 16, cap. 68. ML 75, 1160.

ri auxilium quo possit converti, quamvis defectu suo non sit convertendus. At quod est morte confirmatum, est extra statum veniae; nullum datur auxilium, nec ulla est iam libertas arbitrii. Hanc secundam tenet Lyra in praesenti, ubi addit quod si cui relatum esset peccatum in quo mori debet homo; non debet nullus orare pro eo. In quo fallitur, et quamvis simile quid dixerit Augustinus, lib. civi. cap. tamen non ita est intelligendum; sed quod non est orandum pro eo, ita ut vita aeterna petatur. Tamen posset orari pro eo petendo remissionem peccatorum; quia multis praescitis peccatorum venia datur, et in gratia Dei sunt, licet ultimo et finaliter recedant in peccato. Unde sententia Lyrae, de peccato ultimo debet providere; alias manifesto est falsa. Quidquid autem de hoc sit, an orare pro praescito, an non debeamus; ista expositio non est ad mentem Apostoli. Tum quia si hoc est peccatum ad mortem, ut Lyra dicit, dicendum erat, dico ut non roget quis; quia ut ipse dicit non est rogandum pro hoc. Praeterea quia Ioannes loquitur populo et singulis christianis, et ea dicit quae communiter apparent. Si quis inquit sciverit fratrem peccare non ad mortem, petat: est peccatum ad mortem, non dico ut roget. Debet ergo fratribus esse notum continententer, quod et quando est ad mortem; et quod sit quod non est ad mortem. At peccatum quod ad mortem est protrahendum, nemo scit, nec Deus istas facit revelationes. Ut quid ergo est ista cautela? Quia dum nescimus orandum est pro omnibus; et potius erat dicendum: si quis sciverit fratrem peccare ad mortem, non roget; quam contra, si quis sciverit peccare non ad mortem, petat; quia modus loquendi conditionalis, ostendit raritatem et diffi[F. 198]cultatem in cognoscendo. At Ioannes non id dixit, nec sic locutus est, sed conditionem apposuit peccato non ad mortem, et alterum absolute protulit; est peccatum ad mortem non dico ut pro eo roget quis. Non ergo ista expositio apta est, et in hoc, melior multo est Augustini et Gregorii; quia notum potest esse saepe quando moritur homo in peccato ut pro eo non roget: sicut etiam notum est quando non ad mortem, seu usque ad mortem peccat. Unde haec Augustini expositio, alia est ab ista recitata.

### Cap. 9. De aliorum expositione.

Alii aliam adhuc adferunt expositionem; ut peccatum ad mortem sit peccatum quod dicitur in S. Scripturis etiam, irremissi-

tolus nec est verum; aliud enim est quod petitio sit non secundum voluntatem, aliud, ut quod petit, non sit secundum voluntatem Dei. Fieri potest ut petamus quod re vera non est secundum Dei voluntatem; tamen petitio bona est, et secundum voluntatem Dei, ut dictum est. Denique sensus verborum est: non dico ut roget quis pro pecato ad mortem, i. e.; quam securitatem, et fiduciam exauditionis facio de peccante non ad mortem, non facio de eo quod est ad mortem. Huic non obstat quod sit orandum ut pro aliquibus exaudiatur Deus. Et haec est expositio notanda et verissima.

[F. 199v] **Cap. 11. De prosecutione eiusdem expositionis.**

Superest nunc explanare quid sit peccatum ad mortem, quod autem non ad mortem. Pro quorum declaratione, advertenda est doctrina verissima et communis, Deum peccatori poenitenti promisisse veniam; non autem poenitenti, non solum veniam dene-gasse, sed interitum comminatum esse. Plena est Scriptura testimoniis hanc veritatem comprobantibus; sufficit nunc illud Ezechielis [18, 21]: Si impius egerit poenitentiam ab omnibus peccatis suis quae operatus est, vita vivet et non morietur. Et illud Luc. 13 [5]: Nisi poenitentiam egeritis omnes similiter peribitis. Huic veritati adiungendum est; posse quidem Deum non poenitentes convertere de facto, et reducere ad poenitentiam, propter quam remittat et det veniam peccatori; immo, de hoc habemus promissionem certam, sicut habemus quod poenitentibus dat veniam. Inde est quod aliqui convertuntur, aliqui non, pro sua voluntate; et qui petit a Deo ut impenitentis cor convertat non est certus an petat quod est secundum divinam voluntatem quia aliquando est, aliquando non est voluntatis divinae id facere.

Qui autem petit ut poenitentibus det vitam, certum est quod est secundum Dei voluntatem et quod exaudiatur. Hinc patet, quod sit peccatum ad mortem, et non ad mortem. Illud ad mortem, quod sic est commissum ut omnino non poeniteat commitentem; non ad mortem vero est, quando poenitet. Poenitentium igitur peccata, quaecumque sint, non ad mortem sunt; impenitentium autem peccata, quaecumque sint, sunt ad mortem; loquor de mortalibus. Fieri potest, ut cum aliqua sunt ad mortem, fiant non ad mortem cum incipit commitentem poenitere. Dicit ergo Apostolus: qui scit peccare fratrem non ad mortem petat et dabit ei Deus vitam. Nempe, qui scit fratrem poenitere et dolere de pecca-

tis, petat securus veniam pro eo, quia petit quod est secundum Dei voluntatem et exaudietur; at si non poenitet, sed in suo peccato manet perseverans non dico ut roget, quia non certum facio eum de exauditione; petat tamen, quia fieri potest ut impetrat. Sic Stephanus petiit pro persecutoribus [Act. 7, 50] et exauditus est in Paulo; sic alii sancti petierunt pro impenitentibus, et exauditi sunt; at sic etiam, multi petiverunt, et non sunt exauditi. Et attende quando dicimus, orandum esse pro impenitentibus; non debere intelligi quod petat veniam pro eis, quasi [F. 200] peccata eis condonentur sine poenitentia. Hoc enim non fit, nec Stephanus sic intellexit quando dixit ne statuas eis hoc peccatum, nec Christus Dominus quando dixit ignosce illis [Lc. 23, 34]; sed ut convertantur eorum corda ad poenitentiam. Haec petitio iusta est, sed incerta de exauditione, et hoc dicit Apostolus. Dixi autem Deum non remitere sine poenitentia, intelligo peccata quantum ad culpam; quia quantum ad poenas spirituales aliquando remittuntur ob orationes sanctorum etiam si maneant in peccatis pro quibus petit. Sic Moises obtinuit aliquando veniam pro populo adhuc peccatore. Quantum vero ad culpam, non prodest ulla oratio sanctorum nec oblatio, ut obtineat remissionem sine poenitentia, et hoc est quod Ciprianus dixit in sermone de lapsis, paulo antea allegato; praeces nullas prodesse peccatori nisi agat poenitentiam, prodesse tamen posse, ut a Deo ad poenitentiam convertatur peccator; tamen, non habent certam exauditionem. Hic est nisi fallor sensus legitimus, et doctrina notanda. Attigerunt aliqui hanc expositionem, sed imperfecte, nec omnino integrum huius loci sensum consecuti sunt.

Oecumenio, hunc locum exponens, dicit sic: pro eo quod est ad mortem ne petat neque enim exaudietur eo quod male petat, pro eo rogans qui nullam ostendit conversionem; nam solum hoc peccatum ad mortem est, quod ad poenitentiam non respicit. Haec ille<sup>(10)</sup>. Bene in hoc dicit, peccatum ad mortem esse quod non respicit ad conversionem nec signa habet poenitentiae. Tamen, non bene dicit in hoc quod male petit quia pro hoc petit. Male quidem peteret, si veniam illi sine poenitentia peteret et hoc numquam obtinebit; sed bene petit, si petit ut a Deo ad poenitentiam trahatur, quamvis incerta est exauditio. Et Apostolus, non dicit ut non petit sed quod ipse non ita inducit ut roget pro peccato ad mortem,

(10) MG 119, 682.

sicut induxerat et monuerat ut rogaret pro peccato non ad mortem. Si autem Apostolus proferret illam propositionem, dico, ut non roget; tunc, certum est prohibuisse petitionem pro peccato ad mortem, et tunc petitio prohibita esset quia veniam illi sine poenitentia peteret. At quia aliam protulit propositionem longe diversam; oportet expli[F. 200v]care de petitione debita, qua petitur id quod licet petere, et quod aliquando Deus exaudit: nempe, petere veniam impenitentibus modo debito, ut Deus eos convertat. Et sic oratio bona est, sed non certa exauditio, sicut cum petitur pro poenitentibus.

Eamdem expositionem attigit antiquus auctor Patianus, epistola 3 contra Novatianos, (habetur tomo primo Bibl.), cuius haec sunt verba: si quis scit fratrem suum peccare non ad mortem possulabit pro eo, et dabit illi Deus vitam. Est autem quod ad mortem dicit, non pro illo dico ut depraeceris. Vides hoc totum ad peccata manentia pertinere, non ad eos qui aliquando peccaverint et coeperint poenitere antequam quisquam pro illis roget. Haec Patianus <sup>(11)</sup>; quibus verbis hanc nostram explicationem insinuat, licet non integre et perfecte. Tandem quodammodo attigit Gregorius libro 6.<sup>o</sup> expositionis libri primi Regum cap. 2 ubi explicans illud verbum Saul ad Samuelem, 1 Reg. 15 [25] "porta peccatum meum", sic inquit. Corrigibilia peccata portantur, quia posteaquam a delinquentis voluntate discedunt purgari satisfactione salubriter possunt; non autem portantur peccata eorum in quorum mentibus per impenitentiam inviscerata sunt. Unde et Ioannes ait: Omne peccatum ad mortem, non pro illo oret quis. Peccatum quippe ad mortem, est quod commititur ab eo qui resipiscere numquam potest, quod peccatum a praeposis non portatur, quia sacerdotum orationibus, aut oblationibus non deletur <sup>(12)</sup>. Et paulo inferius ait: Quamdam peccatores dulcedinem in se ipsis excipiunt, sed onerare praelatos onere eorumdem volunt; sponte ad confitendum veniunt, sed pro quibus se accusant, non ipsi lugent, se poenitere alios obsecrant; fide sola salvari existimant, per poenitentiam reverttere abiecti non curant <sup>(13)</sup>. Haec Gregorius, qui per poenitentiam aut impenitentiam recte distinguit peccatum ad mortem et non ad mortem. Tamen in hoc differt; quod verba illa, non dico ut roget prohibitiva esse putat, quia re vera non est pe-

(11) ML 13, 1074.

(12) ML 79, 434.

(13) ML 79, 435.

tenda venia pro impenitentibus ut ne sic scilicet hominibus peccata donentur. Tamen non sic Ioannes dixit, sed non dico ut roget; quibus verbis non prohibet rogare, sed non facit certam fiduciam exau[ F. 201 ]ditionis. Ob id puto orare posse, et debere; non ut venia detur, sed ut ad poenitentiam trahant, pro quibus veniam obtineant, ut explicavimus. Multum autem interest, inter hoc, non dico ut roget, et id quod assumit Gregorius, non pro illo oret. Praeterea Gregorius vult peccatum ad mortem definire per impenitentiam, sed talem ut duret usque ad mortem, quia dicit committi ab illo qui resipiscere nunquam potest. At nos dicimus esse ad mortem dum non resipiscit; cum autem ad poenitentiam convertitur, tunc fit non ad mortem.

Dicet aliquis: Si poenitentiam peccator agit non indiget orationibus aliorum ut consequatur veniam, nam hanc promisit Deus. Dico, indigere; quia non statim ac poenitere incipit est in eo gradu ut veniam obtineat; iuvatur autem orationibus aliorum ut a Deo obtineat perfectionem et perseverantiam. Praeterea, et si culpae obtineat veniam; tamen non totius poenae semper, sed manet obligatus satisfacere. Et saepe a Deo impetrat poenitentiam; at orationibus aliorum veniam poenarum obtinet. Rursus, iuvatur ut obtentam veniam non perdat novis culpis. Ob hoc orat Ecclesia et petit pro poenitentibus, et impetrat.

### **Cap. 12. Quare ad mortem et non ad mortem dicta sunt.**

Non immerito pro complemento huius expositionis petere aliquis posset, quare peccatum ad mortem et non ad mortem dicta sint. Dico, peccatum, dum poenitentia non deletur ad mortem dici; tam reum mortis spiritualis, quam aeternae; quia ex se tendit usque ad utramque mortem. Nisi enim remedio unico poenitentiae; post baptismum non potest auferri. Unde sicut morbus laetalis unicum habens remedium, dicitur hoc remedio non adhibito tendere in mortem; ita et peccatum mortale non adhibita poenitentia; tendit et perveniet ad utramque mortem. Eum autem adhibito remedio sufficienti, dico non esse ad mortem; sicut de morbo corporali dixit divus Ioannes, [14, 4]: Infirmitas haec, non est ad mortem; quia cum brevi suscitandus esset, non censuit mortem illam Lazari nomine mortis dignam. Dicimus etiam: Morbus hic acutus ad mortem est, id est, ex se tendit ad mortem; tamen quando [ F. 201v ] efficax adhibetur medicamentum, iam

non est ad mortem. Est et alia huius ratio. Quia non poenitentibus est lata sententia mortis aeternae, licet nondum sit executio-  
ni mandata; ob id peccatum est ad mortem. At quando poenitentia adhibetur delet chirographum decreti, et iam non est ad mor-  
tem. Dum igitur peccator non agit poenitentiam, magno versatur  
in periculo, quia peccatum eius ad mortem est; quia nisi  
mutetur et convertatur, in peccato suo morietur, et in mor-  
tem damnabitur aeternam. Quod recte dixit divus Ioannes [8, 21  
et 24]: Quo ego vado vos non potestis venire; statim explicuit.  
Quia nisi credideritis quia ego sum, in peccato vestro moriemini.  
Praeterea quod absolute dixit, non potestis venire, postea cum  
conditione, nisi credideritis. Sic absolute dicimus, peccatum hoc  
est ad mortem, quod intelligitur, nisi poenitentia agatur. Ex his  
omnibus patet quis sit huius loci legitimus sensus. Hoc addendum  
puto; peccatum ad mortem aliter sumi a Basilio in epistola ad  
Amphilochium can. 32. Clerici, inquit, qui peccatum ad mortem  
perpetrant a gradu deponuntur quidem, a laicali autem commu-  
nione non arcentur<sup>(14)</sup>.

Vocat peccatum ad mortem, crimen quod in judicio et tribu-  
nali hominum morte solet seu poena capitali plecti, ut homici-  
dium et alia crimina huiusmodi, quae judices erga laicos tali  
poena plectunt; ut peccatum ad mortem sit, id est, dignum morte  
per leges humanas. Non de hoc agit Apostolus, sed de peccato  
mortali quocumque dignum morte aeternae per divinam legem;  
quod dum non adhibetur remedium, ad utramque pervenit mortem.

---

(14) MG 32, 727.